



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

GIMMAËNSIS-BONGANA*

IN AETHIOPIA PRAEFECTURA APOSTOLICA GIMMAËNSIS-BONGANA

AD GRADUM VICARIATUS APOSTOLICI ATTOLLITUR

IMMUTATIS FINIBUS ET NOMINE

Cum in Apostolica Praefectura Gimmaënsi-Bongana, intra Aethiopiae fines sita curisque Congregationis Missionis concredata, catholica religio haud parva incrementa suscepit, ut eiusdem Congregationis sodalibus inibi sedule operantibus meritum tribueretur testimonium laudis simulque eorum pastorales confirmarentur labores, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitisque faventibus votis sive Venerabilis Fratris Georgii Panikulam, Archiepiscopi titulo Caudini et in Aethiopia Apostolici Nuntii, sive aliorum quorum interest, censuit nuper ut memorata Praefectura Apostolica ad gradum Vicariatus Apostolici eveheretur. Nos vero de totius Dominici gregis bono solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate Praefecturam Apostolicam Gimmaënsem-Bonganam ad gradum Vicariatus Apostolici attollimus immutatis finibus et nomine. Quam insuper volumus adhuc pertinere sollicitas ad curas Congregationis Missionis.

Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Georgio Panikulam, quem diximus, imposito onere authenticum exemplar actus peractae exsecutionis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Decembris, anno Domini bis millesimo nono,
Pontificatus Nostri quinto.*

THARCISIUS card. BERTONE

IVAN card. DIAS

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Franciscus Di Felice, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. CII (2010), n. 1, pp. 1-2 © Copyright 2009 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana